

Letter 225: 3 November 1524, Besançon, Stephanus Fredeletus to Capito

The manuscript of this letter is in the Archive municipale of Strasbourg, AST 40, #61.

5 Salvus sis quoque, vir doctissime. Tuas profecto literas avidissime recepi eoque avidius quod  
scilicet liberius te meis nugis aggredi ansam prebeas dum tui Stephani aliquando memineris et  
quem discipulum habes fratrem excitas. Non est quod possim respondere vices nisi quatenus tua  
humanitas et benevolentia pro solito more etiam doctrina rudiores amplectitur; has ergo scribo  
10 pro temporis angustia ut vacat et te quoque me salutatum iri in Domino cognoscas. Unum est  
tamen quod recipere non possum te maritum et sacerdotem, qui hactenus velut numen quoddam  
celibatuum extollebas, te inquam, iam senem mulieri alligatum domesticis curis implicitum cui  
magis in vinea Domini laborare et ut solitus eras omni [?] semota cura bonas literas restaurare  
consultum erat. Utinam adhuc insolitam Lutheranorum moderationem Argentina non recepisset,  
15 que potius scandalum et tenebras quam edificationem et lucem parit, suffecturum enim [?] erat  
incipitem reliquisse donec omnium assensu comprobatae. Nihil est apud nos pestilentius, nihil  
odiosius quam de ea re etiam fabulari. Faxit Deus Optimus Maximus ut pro veritate nostrae  
religionis ac fidei firmitate undique res [?] elucescat. Vale, felix et parce sic ex animo scribenti.  
Ex Bisuncio. Tercia Novembris 1524.  
15 Tibi deditissimus Stephanus Fredoletus Bisuntinus d [?]